

F. K. 69

19

X2120561



# VERBA LAMENTOSA.

ad

**Ultimum Valete  
Sui qvondam in Judicio Appellat: Collegæ  
VIRI**

*Nobilissimi, Magnif: Ampliss: Excellentiss:*

# DN. FRIDERICI TÜNZELII.

Hereditario in Tungenhäusen & Mohlau

Comit: Palat: Cæsar: Sereniss: Elect: Saxon: à Consiliis Appel-  
lat: Cameralium Imperii & finalium Territorii Saxon:  
Consistorii Ecclesiast: Supremi Assessoris ut  
vigilantissimi ita metitissimi ICTI  
Summi.

*Quem optimus quisq; merito deplorat: & desiderio ipsius  
ardenter flagrat*

In publico conventu  
Ipsa die anno post mortuali  
prolata

**QVIRINO Schachern/ D.**

in Academ: per celebri Lipsicâ  
die 27. Januar.

Anno 1656.



Ex Officina BERGENIANA.





Ptimi Viri deq̄ Republica benē meriti, etiamsi ipsam Ma-  
thusalæ decrepitam valde senectuē vivendo attingerent. & longis-  
simam vitæ suæ metam, serotino ætatis tempore conseqverentur. ni-  
chilominus tamen cum ingenti cordolio, illis demum demortuis, qua  
nimis cito & fatorum propemodum injuria atq̄ invidia usui nostro facint ere-  
pti, lamentari possemus, imò deberemus. Sed hoc nostro seculo ex omni mor-  
talium numero vix centesimus est, neq̄ mentiar, si millesimum dixerim, q̄vi ad  
ultimum senectutis limen perveniat, & ad usq̄ plaudite, q̄d ajuat Comici, vi-  
vat. Licet alias omnis vita, ut maxime diurna videatur, si ad æternam illam  
contuleris, non tantum sit brevisima, sed etiam plane nulla, & ne siyū q̄dæm  
xgōv̄, multò minus verò h̄mērā mia vocanda. Et plerūq̄ illud Poetæ nobis uſu  
venit, cujus quærela illa est:

Optima prima fere manibus rapiuntur avaris  
Implentur numeris deteriora suis.

Verum enim vero, Judicia Dei sunt inscrutabilia, ideoq̄ infirmâ nostra  
ratione in id non adeo curiose inquiramus. Quem admodum a. milites armati,  
q̄vi pro Republ. ceciderunt in perpetuum per gloriam vivere intelliguntur, ut  
videre est in principi: Inst: de excusat: tut. ita non minus milites togati, ut no-  
minantur in jure nostro Magistratus & Consiliatii Principum, q̄i perpetuis vigili-  
is, arduis pro Republ. cogitationibus, gravissimisq̄ occupationibus attenti, pa-  
triæ sese totos impenderunt, & cum Vespasiano inter standum beatam exhalâ-  
runt animam, honorificâ commemoratione, ut vivat post funera virtus illorum,  
sunt afficiendi. Et hoc est q̄d ad futurum diem Sabbathi aucti erimus VIRO  
Nobiiss: Magnif: Ampliss: Consultiss: arq̄ Excellentiss: Dn. Friderico Tünzelio  
in Lützenhausen & Wohla/ f. U. D. Comitis Palat: Cæsar: Sereniss: Elec: Sa-  
xon: à Consiliis Appellat: Consistorii Ecclesiast: causatum Cameralium Imp: &  
finalium Territorii Saxon: ut vigilantiss: ita meritissimo JCTO Summo. Quo  
ipso die ille humani corporis exuviis depositis, terrenis rebus ultimum vale di-  
xit, & in cœlestem curiam avolavit, ubi ævo Semperno beatus perficitur. Et  
hoc eam ob rationem agemus, ut ex hujus condolentia nostræ speciosâ signifi-  
catione vidua mæstissima, agnati & cognati, præprimis a. VIR plurimum Reve-  
rendus Magnif: Ampliss: Excellentiss: D. Egidius Strauß/ SS. Theol. D. Pa-  
stor & Superintendens Dresdensis. Socrus pie denati longè eminentiss: im-  
mensum suum dolorem q̄dammodo comprimat, mollioremq̄ animi partem  
aliqvantulum coiceat, q̄oniam ille non æternum mortuus est, sed ex hac viâ  
miseritatem ad vitam Semperno & longè felicissimam & beatissimam transmi-  
gravit, eamq̄ viam ingressus est, q̄am omnes aliqvando calcare necesse habe-  
mus. Ad has itaq̄ Defuncti laudes invitamus Rectorem, Academiæ Magnif:  
Principem Holsatiae illustri: Generosiss: D. Ruthenum, cœterosq̄ Facultatum  
omnium Decanos. Prof: Arct: necnon & Doct: Licentiat: & Magistros, unâ  
cum nobili & erudita Studio, q̄rum cohorte, ut in honorem pie defuncti, ad se-  
mihorulæ spatiū in Auditoriæ Collegii Perrini haut gravariū comparere ve-  
llint hora 9. Quid si fecerint, m. sibi obstrictum & ad officia qvæq̄ para'um  
iterum habebunt. P. P. & publicæ valvis Collegii major: Princip: affixum  
20. Januarii M. DC. LVI.



## Iles præsens elapso nunc anni

**S**pacio, emortualis extitit Viro beatae memoriae Nobilis. Magnifico, Ampliss. Consultissimo, atq; Excellen-  
tissimo Dn. Friderico Tünzelio in Tunzenhausen  
und Mohla Comiti Palatino Cesareo &c. Sereniss.  
Electori Saxon. à Consiliis Appellationum Consistorij  
Ecclesiastici, & Causarum Cameralium Imperij &  
finalium Territorij Saxonici, ut vigilantissimo, ita meritissimo. I CT O  
Summo. Non itaq; in congruum fore hoc loco reputo, si revocamus in  
memoriam: Misera Andromachen in viduo luctu constitutam, nihil  
aliud expetivisse, nisi ut tota, quantacunq; erat Oculus fieret; quo peren-  
ni lacrymarum fluxu Hectoris sui tumulum irrigare posset; cum haut ad  
votum absimile prædicti Viri grandis jactura & dispendium nos commo-  
veat. Eqvidem si lactum atq; cordolium, quod infunere bujus VIRI  
Dresda persentiscit, & concoquere necesse habet, representare deberem,  
Thimantis ut initarer opus eset exemplum, sagacis pictoris illius qui cum  
artificio excelleret, ingenio tamen magis abundabat, qua propter cum Iph-  
igeniae stantis ad aram jamjam peritura parentem satis luculenta tristitia  
signa exhibentem picturâ ostendere nesciret, velo contextit ejusdem faciem  
cum reliquos astantes partim ejulantes, partim comas è capitibus evellen-  
tes, pinxerat. & sic velo obumbravit, quod penicillo ex & quare desperavit.  
Non a. prorsus silebimus, neq; id salvâ pietate, præ primis à me fieri potest.  
patris n. instar eum ut & omnes meos Collegas una cum Praeside in Judicio  
Appellationum cuius venerandam cantiem exoscular, & reliquos aquâ ve-  
neratione haut immerito prosequor, absit igitur ut in totum vox obmute-  
scat nostra. Moderatius vero aliquantò indicia mæroris nostri, &  
quatenus concedunt Scripturæ Sacrae monumenta, commonstrabimus, lu-  
ctumq; hunc ingentem fortitudine superabimus, cogitantes, non oportere  
Divino Numini invidiam fieri: quod immortalitatem suam nobiscum par-  
tiri in hoc vitâ noluerit. Cum a. meis oculis Mors insperata bujus VIRI  
facile eduxerit lacrymas & ubi dolor ibi & manus & ejulationes & verba  
lamentosa, ideoq; tristi voce vitam obitumq; prædicti VIRI. describam, de-  
monstraturus qualem quantumq; amiserimus columnam, optandum a.  
ante omnia mibi restat, ut digna tali VIRO contingat Oratio, cui nunc su-  
pre

premium humanitatis officium mœror & lamentatio nostra exhibet &  
elargitur. Certè Alexander Magnus cum in Asiam profectus ad rui-  
nas Trojæ pervenisset, Achillis statuam coronans in hac verba erupisse scri-  
bitur: O te felicem Achilleum, qui vivus Patroclum amicum, & mortuus  
laudum tuarum praconem Homerum invenisti! Quanquam a mea  
eloquentia multis parasangis distet ab Homeri illius seu fontis seu Oceanii  
potius omnis sapientiae, virtutis & eloquentiae, tamen illud animum agrum  
ex dolore solatur ac reficit, quod in rebus arduis ipse conatus, licet infra  
meritum, licet impar voluntati laudem mereatur. Quodcum ita sit an-  
tequam hoc exequar à Vobis Auditores omnium ordinum honoratissimi,  
propter exile orationis secuturæ filum officiosè & amanter oro, ut eā  
quā cœpistis benevolentie & arrectæ auscultationis aurā, orationem hanc  
meam prosequi hanc dedignemini.

Præstantes Viri, qui commune bonum sunt, & cum in ecclesiam &  
Rempubl. tūm omnem in vitam magna conserunt beneficia, si diem obeant  
suum, non desiderari saltem & deplorari condignis laudibus & obone-  
flamentis affici, verum etiam ipsorum memoria ad omnem usq; posterita-  
tem, quantum in nobis situm, transmitti debent. Neg, verò cause nobis  
desunt, vel numero plurimæ, vel pondere gravissimæ, cur hoc facere nos  
follicitè oporteat, quas omnes ut longo ordine, nunc recenseam mei institu-  
ti non est. Et hoc est, quod & nos nunc præstare debemus, prænomi-  
nato VIRO Magnifico, amplissimo, excellentissimo, atq; consultissimo Dn.  
Friderico Tünzelio ICTO. quem ante annum hoc ipsa luce, rebus par-  
tim absolvendis, partim gerendis partim animo concipiendis intentum,  
mors inopina rapuit, ac usura vitae privavit. Dignus verò dignus  
erat, cui multos necesitas illa fatalis per annos pepercisset, & fila longis-  
sima Lachesis duxisset; & fortasse multa potuisent expediri facilius, quæ  
jam in medio relinquenda sunt. Id quod ex sequentibus hanc obscure  
apparebit.

In hunc orbem, delatus est Tünzelius noster anno 1603. die 30.  
Augusti dimidia quadrante ante sonitum horæ pomeridianæ primæ. Pa-  
tria ipsius fuit emporium hocce Germaniæ famigeratissimum Lipsia vi-  
debet, ubi non minus Musis ac Appolloni quam Mercurio vacatur.  
Quam multum autem situm sit in cuiusq; patriâ cùm ad temperamenta  
corporum tam ad ingeniorum felicitatem, & virtutum indolem, norunt  
omnes qui Physicorum Theorematâ primis saltem labris degustârunt.  
Præclarè Cicero, acutiora sunt ingenia & ad intelligendum aptiora eorum,  
qui terras incolunt eas in quibus aer sit purus & tenuis, quam illorum,  
qui utuntur cœlo crasso & concreto. Nec de nihilo est illud Plutarchi  
qui in libello de exilio meliorem inquit, Athenis esse lunam quam Co-  
rinthi, unde fit, ut hanc in parte multum intersit, an, quod ait Horatius,  
quis

quis sit: Cholchus an Assyrinus, Thebis nutritus an Argus. Hæc cum ita sese habeant; Iis omnibus qui Patriam & aëris clementia & legibus honestis bene temperatam sortiuntur, & in his Tünzelio nostro jure meritoq; gratulamur. Supervacaneum foret, si recensendo de-lassaremur quam hac nostrâ & patrum nostrorum ætate magnorum, literatissimorum virorum; & omni de rep. bene meritorum feracissimum fuerit hocce emporium, ex quo tanquam olim ex equo Trojano prodierunt qui in toro choro atq; foro utilissimam novarunt operam.

Hæc obiter de patriâ, jam ad Parentes Tünzelij nostri deve-niendum, de iis autem si quis Deum Patrem & Ecclesiam matrem bar-beat præcipuam atq; maximam laudem esse ducimus: Verum enim vero cum ejusmodi parentes longè latèq; pateant, & omnem per orbem spar-gantur, opus est nobis ut propiores queramus, prioribus tamen illis si-mul positis & minime omnium submotis. Patrem itaq; habuit No-biliss. Plurimum Magnificum Ampliss. Excellentiss. & Consultiss. Dn. Gabrielem Tünzelium, ICTULM. Comitem Palatinum Cœsareum iti-dem Lipsiensem Virum Optimum, Virum undiqueq; celebrem qui & fuit Electori Saxoniae à Consiliis Secretioribus per multos annos. Ma-trem v. Catharinam, Plurimum Reverendi, Amplissimi atq; Excellentiss. Dn. Zachariae Schilters / S. S. Theol. Doct. atq; Prof. Publ. in Academia Lipsiensi Filiam fœminam honestissimam, quæ non tantum rem domesticam operâ multiplici juvit, sed etiam lenimenti & solatijs loco marito suo extitit. Hi parentes pientissimi curam supremam ante omnia gesserunt, ut hic ipsorum in lucem modo editus filius S. S. Baptismate lotus, sub vexillo Christi miles strennus evaderet, ubi Fri-derici nomine insignitus est, dehinc simul laboraverunt nullum lapidem non moventes ne vitam solummodo & simplex rō iuxta verum etiam rō eovou & bene vivendi rationem ab ipsis acciperet, qua propter in eorum quasi gremio cum incunis adhuc propè vagiret sensim ad omnem pietatem & virtutem enutritus fuit & institutus, posteaq; verò red-dere jam voces sciret puer, & pede certo signaret humum fidelissimo-rum præceptorum semper adjutus fuit institutione. Quem insinem, cum annum vix nonum transgressus esset Hallam missus est, ubi in cele-berrimo gymnasio ibidem bonarum literarum fundamenta minimè pa-nitenda jecit, quibus reliqua omnia facile superstrui potuerunt: Hoc enim nisi fiat, oleum simul ac operam perire discentibus, & iis qui nondum enatis pennis ad superiora evolare conantur cum Icaro præ-cipites delabi, & in mari ruditatis, stultitiae & ignorantie sera & pa-nitentiae demergi necessum est.

Anno 1614. Hallâ Dresdam in Urbem istam Misniae præcipuam ubi Sereniss. Elector Saxoniae sedem suam fixam positam habet, uncatus est, nbi sex annos continuos à præceptoribus domesticis privata informacione sedulo imbutus est, deinde post temporis bujus præterlapsum,

cum festum celebraretur Paschatis anni 1620 in Academiam Lipsiensem cum tutore quopiam ablegatus est, sceptra tunc temporis ibi gerebat Academica Dn. D. Leonhard Agricola, à quo in albū studiosorū receptus est, in hac ergo Academiā commoratus est quatuor annos, usq; ad festas dies Paschatis Christi anni 1624. brevi modo temporis spacio excepto, quo à Nov. anni 1622. usq; ad Apr. anni 1623. cum carissimo suo parente, munus tunc temporis legationis Sereniss. Elect. Sax. fungente Ratisbonae diei collegiali interfuit; cum a optime sibi cognitū atq; perspectū haberet quam obrem ad Academiam Eruditionis officinam, à parentibus suis missus esset, per omnes idcirco liberalium disciplinarum hortulos transiit, sed eā potissimum sibi decerpēta, & in suum quasi quasillum colligenda putavit, quæ ad juris prudentiae studium præcursionem adhibere, & ad usum adminiculō sibi fore prospiciebat: Tantum a progressus est, ut ex Physicis de visu disputationem publicam baberet, Præsidente Dn. M. Anania VVebero, nunc Theolog. Doctore nominatiss. &c. apud Ulratislavienses Pastore Inspectore generali Vigilantissimo, Præceptore itidem meo nullo non temporis momento devenerando & paulò post ex juridicis sub Dn. VVilhelmo Smuccio F. C. T O. celeberrimo, & Pandect. Professore Pub. de Actionibus responderet. Qua de re Lipsiā abituriens ab inclytā, Facultate Juridicā totius peractae vite testimonio publico, minime omnium nocuo, sed maxime profuso cobonestatus est. Intelligebatur tempore parens filium suum maturo atq; abundanti judicio prædictum esse, ideoq; removebat ipsum ab Inspectoris tutorisq; curā, cuius nunc triennij spacio optimè usus fuerat. Deinde cum eidem parenti commodum atq; utile videretur futurum, mandavit ut anno 1624. tempore itidem paschali Jenensem Academiam inviseret, qui locus non tantum ad omnia studiorum genera, pietatis, virtutis sapientiae & eloquentiae factus & fictus esse videbatur, sed & propter aërem frigidulum, undas salubres, montes excelsos, valles profundas, Sylvas nemoras Salampiscosum, latissimas segetes, pascua & viridaria amoenissima, colles vitibus consitos, armamentorum & gregum copiam, volucrum & ferinae abundantiam, cum quibuslibet civitatibus conferendus imò etiam anteferendus est. Ibi in studiosorum numerum receptus est à Dn. D. Valentino Rimero Prof. Pandect. P. qui Magnifici Rectoris illo tempore munus obibat. Isthic sedulam in studiis suis navavit operam, iliumq; sibi diem periisse putavit quo non sentiret se quicquam discendo profecisse; Posteaquam autem animum suum studio Juris semel applicasset, deinceps buic artium Reginā se totum mancipavit, neq; saltem privatos intraparietes suā se continuit diligentia, verum etiam in lucem prodibat, & tueri quæ vera, & refellere quæ falsa videbantur audebat.

Quinqvennio autem in Academiis nostratibus consumto, complacuit dulcissimo ejus parenti ut in exoticas & à nobis longè remotas Academias peregrinè abiret, ut ibidem lingvarum omnisq; Philosophiae cursum

sum absolvendo optatissimam studiorum suorum conseqveretur melam.  
Consulto itaq; hic ante omnia opus fuit consilio, an nimirum satius foret  
expatriā meare, & exteris nationes lustrare, an desidere domi has omit-  
tere discursationes, easq; inutiles esse putare, & dicere cum Horatio:

Cœlum non animum mutant, qui trans mare currunt.

Sentire cum Aeschine de viatoribus, τὸν τρόπον ἀλλὰ τὸν τὸπον μετιδιάζω,  
non mores sed locum saltem mutarunt. Seu agere in eum modum ve-  
luti quondam Spartani, qui civibus suis omni peregrinatione interdice-  
bant, ne mores peregrinos secum ferrent & paternos turpiter inficerent.  
Quod à nostratisbus sepè numero fieri constat, qui sese beatos fore arbi-  
trantur, si paucula quedam verba exotica, novum capillitium, barbu-  
las insolitas, recentem vestitum, & Patriæ contemtum extremum secum  
apportent.

Hæc quidem cum verissima sint de inconsulto & temerè vagari  
solitis, ita de iis, qui caute & bene rem gerunt, omnia falsa, præsertim si  
certos sibi fines, & media licita ac tempestiva suorum itinerū constituant.  
Hæc cum prudentissimus atq; oculatissimus parens apud animum suum  
æquâ lance satis superq; ponderasset, rationesq; maximè prægnantes re-  
periret, ablegavit filium hunc suum morigerum Argentoratum anno  
1625. cum dulci ac lata devotione agerentur dies Festi Paschales, quo  
cum die 1. Junii salvus in columisq; pervenisset, die 7 mensis ejusdem à  
Magnifico Dn Rectore Dn. Isaaco Fröreisenio S. S. Theol. D. & Prof.  
P. inter reliquos Musarum filios adoptatus est: Ibidem sibi cura cordiq;  
esse Jurisprudentiam, tam publicè, quam privatim satis superq; compro-  
bavit. Die n. 3. Junij anno 1626. publicè cathedram concendebat &  
sub præsidio Dn. D. Clutenij Prof. Pondect. P. de jure belli disputationem  
babebat, nec longo post temporis intervallo aliam de Appellationibus  
disceptionem sub tutamine Dn. D. Georgij Locammeri Pandeet. Prof.  
P. die nimirum 21. April. anni 1627. publicè itidem proponens reliquos ad  
opponendum scrupulos suos allectavit. Nec quidem satis erat edidisse  
tot & tam præclara eruditio specimina, multum insuper etiam tempo-  
ris tribuebat lingvarum exoticarum cognitioni, omnes ingenij vires ten-  
tabat ut linguam Hebraicam, Italicam, Gallicam, Hispanicam atq; An-  
glicam venutissimo sermonis lepore pronunciare posset, præterea ea quoq;  
exercitia discebat, quibus nobilior animus saltu, pugillatu & equitatu ad  
militarem fortitudinem preparatur. Sanè Philosophorum prudentis-  
simus Plato, mercede in republicā conduci jubet, qui viros simul ac mu-  
lieres doceant modò exilitionibus, modò depressionibus, modò inclinatio-  
nibus incursus hostium imitari artificiosèq; declinare. Ab ineunte quoq;  
atate Musicam tam vocalem quam instrumentalem adamavit, & quan-  
tum sibi utile foret perdidicit, ut inter studiorum nauseam quandog; oble-  
etamenta & recreationem querere posset. Cum a. semel iter suum  
ingressus esset postea non minus quam cœlum à motu suo quiescere potuit,

longum ergo iter meditatus est non tamen sine consensu sed cum consensu  
et consilio parentum per Lothariam Parisios commigravit, ibidem com-  
moratus est usq; ad sextum mensem, atq; percunctatus est modum guber-  
nandi rempubl. exercuitq; ingenium suum in cognitione lingvarum, et  
confexit eà qvæ videbantur visu digna ac utilia. Deinde sub prin-  
cipium Januarii anno 1628. per Lugdunum Genevam profectus est, man-  
situsq; ibidem spacio 4. mensum, rursusq; se postea Lugdunum recepit. Ab-  
hinc principio Maji per Savoiam Piemontium versus Italiam Chambrij  
Susam Turinum Mediolanum, Paviam, Genuam, Lucam, Pisam, Flo-  
rentiam, Sienam iter suum fecit, perstititq; eo loco usq; ad principium Se-  
ptembris, et lingvarum exercitio mathematicum adjunxit. Inde hinc  
cum Duce Job. ab Holstein digressus Romam petiit, qvæ olim caput totius  
mundi appellata fuit ibi præter alia innumera de quibus Italias bonorum ac  
malorum scribi poterat tueri licuit, è Româ cum migravit, Neapolin de-  
venit, qvæ quondam vocabatur Parthenope, qvæ superbit arce triplici.  
ibi cum per pauxilli temporis spaciū observatu digna notasset Romanum  
reversus est. Hinc Sienam, Florentiam, ulterius Bononiam, et super  
montana Apennini Ferrariam, Paduam et Venitas continuâ aëris  
mutatione iter suum fecit, partimq; interea Paduae partim Venetiis au-  
ram vitalem captavit, donec sub fine Febr. 1629. cum Generoso Dn. Dn.  
Ferdinando Geitz coblero Trevisum Tergestum, Tridentum et Super  
Montana Tyrolis Oenipontium versus Ratisbonam Profectus est, deinde  
9. Aprilis trans Ulmam, Reutlingam, Tybingam, Rotoburgum et Syl-  
vana Knibes Argentoratum descendit, ingentem illam speculam et pyra-  
midem, cui vix Ægyptus similem habet, visurus, ura cum motu solis, et  
lunæ incremento simul, et decremente, tum et dierum et noctium perpe-  
tuas vices, urbis armamentaria et muros, vallum et fossas, et si qvæ  
alia spectanda nobis hac civitas exhibet, quam ferè Argentinam, seu  
auream potius dixerimus.

Quemadmodum a. Jupiter ut Poëta fabulantur, non minus Cretâ  
suâ, ubi nutritus fuerat, quam Cœlo ipso delectabatur: Ulysses in Itha-  
câ suâ frugaliter agere malebat, quam apud Circem et Calypse laute vi-  
vere, Sic Tünzelius longum deniq; valere jussis exterorum regnis atq;  
urbibus quarum mores, leges et consuetudines jam satis explorasset, ita ut  
non vulgarem illarum scientiam, et ex illa scientia prudentiam collegi-  
set in patriam regionem Misnicam et urbem Dresden regressus est. Deus  
bone! qvæ tunc latitia, quod gaudium, qvæ gratulatio et tota familia  
confluebat cernendi causâ Eridericum Tünzelium ex longinq; oris re-  
deuentem, nemo erat qui non primus sermonem instituere cum ipso, et  
de hac peregrinatione suâ confabulari cupidè desideraret. Nec tamen  
hic quievit, ant colophonem peregrinationi suæ imposuit, sed non longe  
post reditum suum die 24. Sept. 1629. cum illis quibus legationis officium  
demandatum erat ab Electore Saxoniae commigravit in Holstein, quo  
reversus;

reversus die 28. Aprilis anni 1630. cum carissimo suo parente qvi & munus legati obibat Viennam salutavit, ubi oculis emissius attentâq; mente pro-  
be notavit egregia facinora parentis sui, & de omnibus iis quæ obscura  
& dubia videbantur, illum consuluit unde non poterat non Sapientia in-  
gentem thesaurum sibi cumulare.

Peractâ autem, ut recensui, tâm longinquâ, tâm periculosâ pere-  
grinatione, consilio summorum virorum Tünzelius noster summum ho-  
noris gradum in juris prudentia, VVittebergæ à Facult. Jurid. modeste  
petuit, facillimè obtinuit & gloriose suscepit, cum annum vigesimum octa-  
vum vix attigisset, nec expetiit alios quam quos jam dudum meritus esset  
bonores, examen idcirco rigidum seu rigorosum, (quod ita vocari moris  
est,) ipsi fuit experiendum, nec tamen ipsius virtus frangi potuit aut  
convinci, sed in modum palmæ contra quælibet assurgens onera injectos  
moles alacriter dejecit: die itaq; 16. Aprilis anni 1630. Licentiam Docto-  
ralem, & ipsam deniq; dignitatem Doctoralem solennissime sibi 17. Aug.  
1630. acquisivit. Hinc nec ipse Imperator Ferdinandus virtutem ejus  
indonatam esse passus est; Sed S. Palatij ipsum Comitem effecit atq; pro-  
nunciavit, ut jure quam optimo Poetas diceret ac crearet: tabelliones  
publicos renunciaret, veniam atatis daret, Largiretur insignia, clypeos  
& galeas merentibus: quemlibet natalibus suis restitueret, ne alienæ cul-  
pæ pœnas homines innoxii luere cogerentur. Deniq; omnium ordinum  
Doctores pronunciaret quo tamen jure semper usus est nunquam vera  
abusus.

Ab eo tempore causis agendis in curiâ rem gratam atq; acceptam  
præstítit viris maximis ex nobili ac ignobili stemmate oriundis, suâq; mo-  
deratione testatum fecit, se ex illorum jureconsultorum esse numero, qui  
malunt lites anteverttere, quam proritare, interrumpere quam proroga-  
re, mature absolvere quam ad inopiam clientes redigere: seu qui (ut  
loquitur Cicero,) omnia semper ad facilitatem & æquitatem referunt,  
neq; constituere litium actiones malunt, quam controversias tollere.  
Nec sine suo commodo atq; emolumento causas in foro egit, norat n. usum  
Magistrum optimum esse, & ferè solum artifices facere, inq; nullo disci-  
plinarum genere quid præclari effici posse, nisi ipsi quoq; operi manus ad-  
moliamur. Innotuit præterea hac ratione, apud viros præclarissimos  
quosq; apud nobiles, aqud Barones ac Conites, donec eum die 13. Nov.  
anni 1629. Illusterrimus ac Celsissimus Princeps ac Dn. Dn. Job Georgius  
Dux Saxoniæ, Juliæ, Cliviæ & Montium, Landgravius Thuringiæ, Mar-  
chio Misniæ, comes de Marca & Ravensburg, Dn. in Ravenstein, &c.  
Dn. parenti ipsius adjunxit in negotiis Camerae Imperial. & causis fi-  
nalibus Domus Saxon. qua in parte dum suam solertiam & legum scien-  
tium & circa iussiones fidem ex multis rerum argumentis demonstraret  
7. Maii 1634. ad Synedrium supremum Consistoriale & Anno 1637. ad  
judicium Appellationibus ut Consiliarius ascitus.

C

Anno

Anno 1632. ad matrimonium, quod honorabile est in omnibus, animum adjecit, delegitq; sibi Mariam Magdalenam Viri Plurimum Reverendi Ampliss. atq; Excellent. Dn. D. Strauchi, Consist. Elect. Sup: Assess. & Consil. Eccles. Pastoris & Superint. Dresdensis filiam, quæ supplex ad aram ipsi adducitur, & ardentissimas inter preces uxor de manu in manum traditur, ut vita comes sit ac consors futura, quò ipsum multà prole parentem faciat, quod quidem & præstitit ea abunde, sedecim n. liberos felici partu edidit, nimirum undecim filios & quinq; natas, à quibus tres filios cum duabus natibus voracitas mortis in ipsis pueritiae annis absorbut, seu ut cum poëta loquar:

Abstulit atra dies & funere mersit acerbo.

Reliqui undecim autem vitalem auram abhuc trahunt & sunt octo filij, & tres natæ, qui omnes abhuc minorennæ curatoribus tutoribusq; opus habent, excepto unico filio Dn. Gabriele, qui ut parentum ac Avorum vestigiis insistat quatuor fermè annos VVittenbergæ inter Musarum castra stipendia fecit.

Pietatem quam exercuit Dn. D. Tunzelius noster fictam & simulatam fuisse nemo bonorum unquam vel suspicari potuit. Quamvis quidem alias multis simulationum involucris tegatur, & quasi velis quibusdam contingatur, uniuscujusq; natura: frons, oculi, vultusq; persæpe mentiantur: Longe aliter cum ipso comparatum erat, quo ad n. vixit homo fuit pietatis veræ ac seriae amantissimus, cuius partes scientia rerum sacrarum, & bona conscientia. Pietatem cum lacte materno imbiberat ab ineuntibus annis didicerat, in utraq; fortunâ exercuerat. In legendis Sacris literis & Theologorum scriptis erat indefessus & diem Sibi perire putabat, quo de non aliquid temporis ad studium pietatis decidisset. In audiendis concionibus Sacris attentissimus erat, in precibus ad Deum fundendis assiduus, in provehendo ministerio sollicitus, in sublevanda pauperum scholasticorum in opia liberalissimus, ab hac VIRI pietate & reliquias virtutes defluxisse, & perpetuum tenorem fortuna melioris, cuius prospero statu ad finem usq; vita semper usus est, minime omnium dubito. Non efferebatur ille animo cristas non erigebat nec alios inferioris sortis homines alto supercilie despiciebat, pius n. erat, meminerat se aliunde omnia quæ posseideret, accepisse; à fastu ac pomposa ostentatione prorsum abhorrebat, quia seipsum noverat, quia vir erat optimus, quia vir erat doctissimus. Spicæ vero plenæ terram versus inflectuntur, sed inanes eriguntur sursum, canes timidi latrant vehementius, & altissima quæq; flumina minimo sono labuntur. Inturpissimis esse ducebat fidem fallere, pacta rescindere, fœdera eludere, rumpere, solvere, violare. Maxime probabat vetus illud inter bonos bene agere oportet, pessimèq; oderat viros illos duplices & versipelles, suoq; exemplo docebat non omnem ad superos fidem avolasse. Et ut maxime plurimi sint, qui cum Lysandro, puerostalis, sed viros juramentis fallendos existimant, tamen ille fidem

fidem homines decere, eamq; iisdem causam bonorum omnium esse intelligebat, & nihil illos homines esse quibus cum in tenebris micare digitis statu non liceret: Quamobrem illos instar portas inferorum vitabat atq; fugiebat:

Qvicunq; fronte politi

Astutam vapid o servant sub pectore vulpem,

Conversabatur graviter cum majoribus, familiariter cum æquilibus, humanissime cum inferioris subsellii hominibus, ut idem semper idem in omnes, servato tamen decoro fuisse videretur. Nullus labor tam durus erat, nulla tam molesta difficultas, nulla tam gravis occupatio quam diligentia sustinere, tolerantiæ superare, perseverantia ad exitum deducere non posset. Vivere non ille putabat esse vel bibere, vel gliris in morem stertere, sed opus facere & laborare, patriæq; se totum impendere, & cum Vespasiano interfundum animam exhalare.

Avaritiam cane & angue pejus oderat, noverat n. ex S. literis illam esse radicem omnium malorum. Etenim cui nihil satis est eidem nihil turpe inquit Timotheus apud Ælianum, & velut terra quæ auri & argenti venas habet, in ceteris ferè sterilescit: Ita qui auro semper avidè inhiant, nullam bona rei frugem producere solent; Fortunam adversam, ventosq; sinistrè spirantes, procellas turbinesq; infortunij non adeo magnificet, sed patienter toleravit precibusq; ad Deum fusis superavit, verum ut uno complectar singula verbo

In omnibus factis atq; operibus quibus unquam occupatus fuit verisimiliter Christianismi sui monstravit ideam. Præprimis autem sententiam illam vulgarem atq; tritam veterum redarguit atq; refutavit, ubi dicitur: Ηρωων πηματα τεκνα Heroum filij noxa, si quidem ille virtutem suam avorum & parentum non saltem æquavit, verum etiam non multum abest quin nominis virtutis atq; famæ sue celebritatem adauxerit.

Restat adhuc ut de morbo ipsius in medium quippan afferam ob quem primò lectulum premere coactus est, qui ita se habet, hora secunda temporis nocturni ante diem 20. Januarij tanquam febricitans paroxysmum leviter expertus est, quem calor inconsuetus subsecutus est, qui ingentem laetitudinem membrorumq; debilitatem cooperavit, ita ut morbus de die in diem incrementa acquireret, quam obrem Medici, ut fieri solet, de hujus morbi qualitate non saltem disceptarunt, verum etiam nulli perpererunt labori, medicamentaque saluberrima adhibuere, quæ tamen vires suas non exeruere. Quia propter ægrotus noster animo suo nil nisi prias mortis meditationes concepit, intellectusq; appetere jam tempus istud quo ex hac sibi vita sit exeendum, quod & factum est die 27 Januarij anno 1655. quadrante primæ horæ secundæ, ubi inter lamentationes suspiria, lacrymas & preces agnatorum, pie placideq; obdormivit. beatam animam exhalavit, & vitam cum morte, seu potius mortem cum vita commutavit, postquam quinq; vaginta ac unicum annum, menses quatuor, septimanas tres, cum senis diebus inter vivos in hac miseriарum calle

JK 24/1716

Et valle transegisset. At nullus or pientissima. Quis tibi tunc animo  
cernenti talia sensus, quos ve dabas gemitus? Cum incomparabilis  
mariti tui anima, quamquam plena solatii Et certissima spe vita melioris  
inter amplexus tuos est corporis domicilio evolare? quid ad hanc pusillorum  
coetus orphanorum? nonne uberrimam lacrymarum profusione madefac-  
ciebant genas? sed sifite lacrymulas Et mater Et filij, Et scitote Jehovah  
digitis in tabulas divinae providentiae consignatum esse; quousque in vita  
hoc studio sit decurrentum, Et quando cedendum isto corporis domici-  
lio; quod commodatum nobis minime donatum est. Vivit abducit Et  
eternum vivit quoad animam carissimus parens vester ante Deum cum  
omnibus angelis Et hominibus beatis, jam omnium quae vitam hanc mor-  
talem premunt, exors malorum, ejusmodi bonorum in illo celesti politeu-  
mate particeps factus est quae nec oculus vidit nec auris audierit nec cor  
hominis unquam capere potuit, subinde cum Ecclesia triumphante ca-  
nens illud *Angelicum Sanctus Sanctus Sanctus Dominus Deus*  
*Zebaoth.* Quoad corpus vero quiescit Et diem illum restitutionis  
omnium dormitabundus prestatatur, quo si celestis tuba signum receptus  
dederit Et profectionem ad gaudia sempiterna indixerit, suis est latebris Et  
ipse prodibit Et cum Christo Salvatore suo ad superna ista meabit, ubi  
tanquam stella firmamenti in secula sempiterna coruscabit. Dixi, sed  
breviter Et crassa pinguis (quod ajunt) Minerva, quae ad praesens institu-  
tum facere visa sunt, nimurum non solum ebeu! Viduam amississe ma-  
ritum ut suavissimum ita dilectissimum, Orphanos parentem dulcissimum  
Et oculatissimum, familiam consolatorem Et protectorem exosculandum  
Socerum Et Socrum generum amantissimum, Consistorium Ecclesiasti-  
cum Assessorem expeditissimum, causas Et negotia Imperialia Terminalia  
Patronum magnum, adeoque Serenissimum Electorem Officialem deside-  
rassimum. DEUS misericors Consoletur viduam mestissi-  
mam, Orphanorumque parentem se exhibeat, eosque protegat ac tueatur,  
ut in omni pietate crescant atque adolescent. Erigat familiam, pu-  
blicisque officiis de tali VIRO rursum prospiciat, atque aliam columnam sub-  
stituat, præcipitemque ruinam avertat! Faxit Deus faxit amen! Nunc  
autem vobis Auditores gratias sempiternas ago, quod ovum fabias evenerant  
cum attentione aures mibi præbere vacivas voluistis, Deum a. supplex  
oro atque veneror, ut nos omnes olim cum pie defuncto nostro Tünzelio  
eives esse velit regni atque celestis politiae, in qua lux erit sine defectu, gau-  
dium sine genitu, desiderium sine pena, amor sine tristitia, satietas sine  
faelicio, sospitas sine vitio, vita sine morte, salus sine languore. Ibi  
invocabimus Et videbimus Deum, videbimus amabimus Et lauda-  
bimus DEUM, qui delectabilis est ad intuitum, suavis ad  
babendum dulcis ad perfruen-  
dum.

F I N I S.

VDTZ

F. K. 69

19

X2420561

Zf  
716

# VERBA LAM

ad Ultimum V

Sui qvondam in Judicio A

VIRI

Nobilissimi, Magnif: A

# DN. FRII

# TÜNZ

## Hereditario in Tungst

Comit: Palat: Cæsar: Sereniss: Elec

lat: Cameralium Imperii & fina

Consistorii Ecclesiast: Sup  
vigilantissimi ita mei

Summi.

*Quem optimus quisq; merito dep  
ardenter flag*

In publico conv

Ipsò die anno post c

prolata

# QVIRINO

in Academ: percelē

dic 27. Janu

Anno 1656.




Ex Officina BERG



TIFFEN® Color Control Patches

© The Tiffen Company, 2007



Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black